



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXV. Vtrum prouidentia Dei sit vniuersaliter benefica ergaomnes, etiam
peccatores & reprobos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

in actu primo proximo. Concluditur ergo Deum esse perfecte liberum absolute ad conferendum, vel non conferendum quemlibet actum primum, & secundum libertatis; non vero, ut praedestinet per quemlibet actum primum, seu per quodlibet auxilium, & quolibet eius circumstantias; sed hoc pendere à libertate etiam creata.

Ad 8. Iam iterum obseruatum est ex dictis qu. 8. ad 4. & tota quaest. 17. nulli rei creatae conuenire rationem futuri, respectu scientiae diuinæ secundum se, neque huic secundum se, & secundum aliquam suam durationem conuenire rationem praeteriti, respectu illius rei creatae. Quapropter scientia Dei, de nostra operatione hodierna existens heri, perinde est impedibilis hodie per omissionem operationis nostrae hodiernae, modo nuper explicato, atque si existeret tantum hodie, & inciperet esse, cum incipit esse nostra operatio libera; & sicut est impedibilis visio creata curius Petri, impedito cursu Petri. Idem dicitur de veritate hesternae, & de futuritione nostri operis, utpotè indistincta à scientia Dei; nec non de reuelationibus tempore prioribus, utpotè pendentibus essentialiter à scientia Dei, ideoque impediendis indirecte, impedita directe scientia Dei.

Ad 9. Dicendum est, sicut ad praecedentia, despectum, seu reprobationem à Deo, à nemine corrigi posse in sensu composito despectus, & reprobationis; posse vero absolute, & in sensu diuiso: atque illi testimonio Ecclesiast. subesse priorem sensum, sicut subest primā Ioann. 3. 9. dum dicitur. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Et rursus: *& non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Art. 1. Ad 10. Si Deus non haberet scientiam mediam; non posset eadem velle exequi, quae vult, & exequitur de facto. Quia non posset velle efficaciter, & determinate operationes nostras liberas, nec ad eas influere ex vi suae voluntatis applicantis efficaciter suam omnipotentiam ad eas determinate operationes liberas, quibus nos exercemur de facto. Sed, vel induceret necessitatem simpliciter antecedentem in omnes vniuersaliter causas secundas, omnesque ipsarum operationes; vel operationes liberae substantiarum rationalium, haec potius, quam illae, prouenerent comparatione Dei, fortuitò, & à casu, nec Deus posset ad eas immediate cooperari.

Art. 2. In primis enim, quod euenit praeter intentionem, aut permissionem determinatam alicuius, & sine praecognitione eius, quod determinate eueniet ipso volente, aut permitte; eo ipso euenit fortuitò, & à casu, comparatione eius, quoad talem determinationem effectus. Deinde duo agentia libera non possunt conuenire in eandem actionem, eam determinate, aut praetendendo per alium actum, aut aliquando per se ipsam formaliter, absque periculo frustrationis, nisi alterum eorum, vel vtrumque sit praescium electionis faciendae ab altero, si ipsum illi adsit, & cooperetur, quantum est ex se. Quia cum agens liberum sit indifferens ad vtrumlibet oppositorum, & ita determinetur de facto ad vnam partem, ut poruerit determinari ad oppositam; fieri poterit, ut altero agente determinante se ad vnam partem, aut eam praetendente determinatè, alterum nihilominus agens non se determinet ad eandem partem, sed ad oppositam; si neutrum est praescium electionis ab altero faciendae, casu, quo illi non desit sua cooperatio. Separabuntur ergo in actione, cum tamen supponantur esse inseparabilia essentialiter, uti re ipsa est inseparabile agens creatum à cooperatione Dei.

Art. 3. Haec igitur absurda cum sint; atque substantiae rationales creatae, cum suis complementis itidem creatis, & sibi intrinsicis, ita sint indifferentes

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

ad hanc, vel illam actionem suam, ut simul sint essentialiter determinatae ad cooperandum Deo, ut praecipienti illam vel positiue, vel permissiue; patet necessarium esse scientiam mediam ex parte Dei, eiusque praesuppositionem esse essentialem causis secundis liberis ex suo conceptu. Vnde rursus patet, quod praecipue intenditur, nempe esse chymericam suppositionem obiectionis, quod eadem omnia creata existant non praexistente in Deo scientia media. Quapropter falsum est, cognosci à Deo per solam scientiam simplicis intelligentiae omnia possibilia, quoad possibilitatem proximam determinatam ipsorum. Falsum rursus consequenter est, omnia eadem possibilia cognosci, per scientiam simplicis intelligentiae, determinate, quoad possibilitatem proximam, independentem ab eo, quod per eandem scientiam cognoscatur, cum simili determinatione, scientia media, à qua in ratione proximè eligibilium, & inuicem coordinabilium, cetera essentialiter dependent.



QVÆSTIO XXXV.

Vtrum prouidentia Dei sit vniuersaliter benefica erga omnes, etiam peccatores, & reprobos?



IDEVR Prouidentiam Dei erga neminem esse beneficam, ac praesertim erga peccatores, & reprobos minimè censeri posse beneficam absolute, & simpliciter.

1. Quia, qui exponit maiori periculo, quam spei, beneficus esse non potest. Deus autem exponit maiori periculo, quam spei, substantias omnes rationales purè creatas. Quod probatur primò à posteriori. Quia illud est maius periculum, quam spes, quod plerique pertrahit in malum, & ratione cuius longè plures incidunt in ruinam. Sunt autem longè, & incomparabiliter plures, qui de facto incidunt in ruinam, & damnationem, quam qui consequuntur vitam aeternam, ut pluribus, & manifestis sacrae paginae testimoniis, necnon communi Sancti PP. consensu demonstrat Montoya disput. 54. de Praedestinatione sect. 1. 2. & 4. Deinde à priori. Quia bona temporalia, quae pertrahunt ad malum sunt notiora, quam bona aeterna, quae retrahunt à malo, & perditione. Motuum autem, quod est notius, ideoque apprehenditur efficacius, mouet magis voluntatem, ideoque probabilius est electionem casuram esse in eam partem, ad quam illud pertrahit. Ergo est maius periculum, quod imminet ex allicientia bonorum temporalium in malum, quam spes, quae affulget ex allicientia aeternorum bonorum ad summum bonum.

2. Plus malitiae inest peccato lethali, quam inest bonitatis toti collectioni bonorum; quorum est capax substantia rationalis creata. Quia malitia peccati lethalis, ex sententia plurium Theologorum, est simpliciter, & proprie infinita, & ex reliquorum consensu, est prope, seu quodammodo infinita; cum cumulus omnium bonorum, quorum sunt capaces substantiae rationales creatae, sit finitus, & infinite distans à bono simpliciter infinito, & reputetur quasi nihil comparatione eiusdem boni simpliciter infiniti. Ergo licet spes obtinendi bona, quorum sunt capaces substantiae rationales creatae, esset aequalis periculo incidendi in mala, quorum eadem sunt capaces. Imò etiam si spes esset maior, quam periculum; adhuc Deus non esset beneficus erga substantias

L 3 ratione

rationales creatas. Quia non est beneficis, qui inducit in periculum malorum incomparabiliter maiorum, quam sint omnia bona, quæ sperari possunt; tamen si spes sit æqualis periculo, aut etiam sit aliquanto maior, quam periculum. Quia excessu infinito simpliciter, aut propè infinito malorum corrumpitur ratio beneficij. De cuius, videlicet, conceptu est præponderantia boni in eo, quod confertur, omnibus vnde quaque consideratis.

3. Maior est miseria reproborum, quam felicitas prædestinatorum. Quia reprobi patiuntur priuationem omnium eorum bonorum, quibus potiuntur prædestinati; atque priuatio cuiusque boni est tantum iuste malum, quantum est bonum, quo priuat. Omnes enim censent tantum malum iacturam centum aureorum, quantum bonum est lucrum, & possessio eorundem. Patiuntur autem præterea reprobi malum sensus ex igne æternum eos depascente, exque aliis innumeris tormentorum speciebus, ac modis, absque vlla eatenus compensatione in Beatis. Ergo exitus, inter quos, constituuntur ancipites substantiæ rationales creatæ, ita comparantur inter se, vt sit deterior, qui est malus, quam sit bonus, qui bonus est. Vltimus autem exitus rerum est lydius lapis æstimationis cæterorum omnium, quæ præcedunt. Nulla igitur inest ratio beneficij iis omnibus, quæ Deus confert creaturis suis, quia ipse voluit, vt plus esset mali in exitu, qui foret malus, quam boni in eo, qui foret bonus.

4. Cui melius fuisset non nasci, quam nasci, nullum accepit beneficium nascendo. Quia de ratione beneficij est, vt sit melius ipsum, quam eius priuatio. Iis autem, qui peccant, & damnantur, melius fuisset, si nati non fuissent, vt pronunciat de Iuda Christus Dominus Matthæi 26. 24. & Marci 14. 21. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ergo saltem erga peccatores, & reprobos non est beneficis Deus.

5. De ratione beneficij est, vt non conferatur rationabiliter inuito; id est, non electuro, nec acceptaturo, si daretur ipsi optio, sed rationabiliter reiecturo. Nemo autem ex iis, qui peccant, & qui damnantur, eligeret eum actum primum libertatis, cum quo peccat, eamque seriem totius vitæ, quæ ipsum deducit ad inferos, si esset possibile, vt daretur sibi optio, dareturque de facto. Quia nemo prudens eligit, aut rationabiliter eligere potest, aut inimicitiam Dei, quæ est deuincta cuius peccato lethali, aut infelicitatem æternam, quæ est deuincta impenitentia finali. Ergo Deus non est beneficis, saltem quatenus conferens eum actum primum libertatis, ex quo de facto subsequitur peccatum lethale; multo verò minus, quatenus conferens eam vitæ seriem, quæ de facto deducit ad inferos.

6. Paruuli, qui moriuntur absque baptismo, & absque possibilitate proxima baptismi, eo ipso moriuntur infelices, & absque possibilitate proxima consequendi felicitatem. Nullum autem est beneficium, quod non est felicitas, neque pars felicitatis, neque possibilitas vlla consequendi felicitatem. Omne namque bonum est felicitas, aut medium ad felicitatem, seu possibilitas felicitatis. Ergo tales saltem paruuli nullum à Deo beneficium accipiunt.

7. Non est beneficis erga alium, de quo hic alius conqueri iure potest: Impossibile namque est, vt conqueri iure possit, qui tenetur ad gratiarum actionem, ad quam vtique tenetur omnis beneficiarius. Omnes autem, qui damnantur, aut peccant vtique, possunt iure conqueri de Deo; tum quia, cum sint æquales in natura præseruatis à peccato, & præ-

destinatis, accipiunt tamen minus, quam illi, quod est contra rationem iustitiæ distributiue, seu legalis: tum quia, cum Deus posset illos liberare à summo malo, summaque miseria, absque vlla propria, vel iactura, vel molestia; noluit tamen illis subuenire, quæ est senectus, & species quædam tyrannidis longe detestabilior, quam sit auara diuitum durities, quæ non subuenit pauperibus extremè indigentibus; quæ tamen præbet magnam iustis querelis materiam. Ergo Deus non est beneficis erga reprobos, aut erga aliquem alium peccatorem.

8. Non est eligibile peccatum comparatione omnium bonorum absolute possibile; quia nihil profunt cætera omnia, si quis animæ suæ detrimentum patitur, vt patitur omnis peccans. Ergo non est eligibilis spes omnium bonorum cum periculo peccandi. Patet consequentia: quia spes comparatur cum periculo, sicut comparatur bonum speratum cum malo imminenti. Deus autem confert spem summi boni coniunctam cum periculo peccandi. Nihil ergo confert æstimabile, & eligibile ab eo, cui confertur; ac proinde non est beneficis.

9. Tantundem valet ad euacuandam rationem beneficij præcognitio mali euentus, quantum valet ad statuendam, augendamque rationem beneficij præcognitio boni euentus. Deus autem quidquid confert, confert cum præcognitione euentus re ipsa futuri, seu prosperi, seu improperi, vt sæpè dictum est supra. Ergo sicut confert magnum beneficium, dum confert actum primum libertatis iis, qui de facto bene operantur, & saluantur, ita nullum confert beneficium iis, qui de facto peccant, & damnantur. Ergo non est beneficis erga istos, sed solum erga illos.

10. Sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis. Ergo sicut Deum dedisse auxilium efficax est causa, vt bene operetur is, qui illud accepit: ita Deum dedisse auxilium inefficax, seu subtraxisse auxilium efficax, est causa, vt male operetur, qui illud accipit, aut istud non accipit. Nequit autem esse beneficis Deus erga eum, cui est causa totius sui mali. Ergo non est beneficis erga peccatores, & reprobos. Qui videlicet conqueri de Deo possunt, tanquam de causa omnium suorum malorum, quique exprobrare eidem possunt, quod tantundem boni, & egissent, & obtinissent, quantum optimi quique, si ipse non obstitisset, & non fuisset operatus, tanquam acceptor personarum, mittendo aliquos in decipulam, alios verò statuendo in iustitia, & sanctitate.

11. Propter delectationem momentaneam infligit Deus poenam æternam, eamque acerbissimam, & quidem infligit odio similiter æterno. Quod non cadit in voluntatem vniuersaliter beneficam, aut vniuersalitate complectente omnes personas, aut vniuersalitate complectente omne opus. Quia in tali opere, & erga talem personam nullum apparet, vel minimū vestigium beneficentiæ. Vnde dicitur Iac. v. 13. *Iudicium sine misericordia fiat ei, qui non fecerit misericordiam.* Ergo Deus non est vniuersaliter beneficis erga omnes. Certe non est vniuersaliter beneficis in omni suo opere. Angetur difficultas quoad hanc secundam partem. Quia Deus plura facit ex iustitia, & aliqua iniusta. Ex iustitia enim retribuit præmia merentibus; & Apostolus ad Rom. 13. v. 8. Conuersionem Iudæorum attribuit iustitiæ, & veritati; sicut conuersionem gentium attribuit misericordiæ. Deinde iustos affligit frequenter multis modis. Quod est iniustum. Non autem pertinet ad beneficentiam opus iustitiæ. Quia benefico debentur gratiæ; non autem iusto. Multo verò minus potest esse opus beneficentiæ, quod est opus iniustitiæ, vt per se patet.

Art. 1. Resp. Beneficentia Dei significatur communiter

muniter in sacris litteris nomine misericordiae, quatenus quidquid Deus erogatur creaturis, erogatur tanquam abundans indigentibus; & ut à miseria, in quam decidunt ex se, erigatur ad felicitatem, quam solus ipse dare potest. Quia solus se ipsum dare potest. Tribuitur autem in iisdem sacris litteris, misericordiae diuinæ, non solum quod liberet res creatas à defectibus, & physicis, & moralibus, quibus, Deo non subueniente, subessent, aut iam suberant, & quibus infra dignitatem sibi connaturalem deprimuntur, aut deprimerentur; sed etiam, quod sint, & conferuntur in esse, & quod eleuentur per dona supernaturalia ultra dignitatem, & proportionem ipsis intrinsicam; idque non solum, respectu substantiarum rationalium, sed etiam irrationalium, atque inanimatarum. Ista diuinæ misericordiae amplitudo patebit ex testimoniis mox producendis. Vnde consequenter apparebit attribui Deo misericordiam non solum expertem compassionis; cui videlicet, nec apud homines passionum, atque inde compassionis propriè dictæ capaces, locus est ullus, respectu non existentium, aut sola carentium eleuatione, per dona supernaturalia; sed etiam tribui misericordiam latius patentem, quam pateat virtus specialis, quæ à Philosopho, & aliis communiter designatur per hanc vocem, & subuenit naturæ indigna patienti; siquidem, quæ nondum sunt, aut iam sunt, & solum carent donis excedentibus naturalem eorum dignitatem, nihil indignum patiuntur, & tamen dicuntur subesse misericordiae diuinæ, quatenus donanti existentiam, & supernaturaliter eleuant. Patet itaque tribui Deo misericordiam non solum propriè, & strictè sumptam, sed etiam latius patentem, prout coincidit cum beneficentia, cuius opus est *Benecola actio gaudium tribuens accipienti*, iuxta communem beneficii definitionem ex Seneca l. 1. de Benef. c. 6. ex Aug. l. de definit. receptam in iure civili, & ab omnibus aliis.

Art. 2. Dico itaque conuenire Deo misericordiam in hoc postremo sensu, atque adeo beneficentiam erga omnes, & singulos, vniuersaliter, eamque exerceri in omni opere diuino absque vlla exceptione. Apparet hoc clare ex Pl. 144. 9. *Suavis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*. Vbi prior pars exprimit vniuersalitatem suauis beneficentiae erga omnia, quæ existunt; & posterior pars adiungit exercitium eiusdem beneficentiae in omni operatione diuina circa eadem omnia. Hoc ipsum manifestatur Pl. 24. 5. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas*. Eodem pertinet, quod dicitur Exod. 34. 6. *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, pater, & multa miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in milia, qui auersus iniquitatem, & scelera, atque peccata*. Et Pl. 85. 15. *Et tu Domine Deus, miserator, & misericors, pater, & multa misericordie*. Hæc duo testimonia id prætereā monent, quod est per se manifestum, beneficam istam misericordiam Dei versari directè, & ratione sui circa substantias intellectuales. Quia diuina clementia, patientia, veracitas, ablatio iniquitatum, scelorum, & peccatorum ad solas pertinent intellectuales substantias, nec possunt pertinere, nisi indirectè, & mediât ad irrationalia.

Art. 3. Tria autem sunt, quibus continetur beneficentia Dei, circa substantias intellectuales. Primum est existentia, & conseruatio. Secundum est finis, quem illis præfigit. Tertium sunt media, quibus instruit ad consecutionem finis. Rursus hæc media considerari possunt pro triplici statu naturæ, innocentis, lapsæ, & reparatæ, iuxta expositionem, quæ habetur quæst. 1. de Gratia. Quod ad primum attinet, manifestum est, creationem, & conseruationem

esse beneficæ, quantum est de se. Quia omnia tam rationalia, quam irrationalia appetunt naturaliter esse, & conseruari, & fugiunt ipsum non esse, quantum possunt. Appetitus autem vniuersaliter inditus omnibus à natura, nequit esse irrationalis, & nequit non esse beneficium, quod confertur rationabiliter volenti. Cum posset negari absque iniuria. Accedit, res creatas produci, & conseruari à Deo per actionem beneuolam. Quia producit, & conseruat ex vi dilectionis erga ipsas, iuxta illud Sap. 11. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Vnde confirmari vltius potest absolute beneficentia vniuersalis Dei. Quia diligens, necesse est, ut benefaciat, si potest, ut potest Deus; Cum amor sit actiuis, quantum potest, ut dictum est supra, ex Philosopho. Cui rationi suffragatur D. Dionys. c. 4. de Diu. Nom. p. 1. dicens: *Audebimus, & id loqui, quod ipse quoque omnium auctor pro amatoria bonitatis magnitudine, extra se sit, ad omnia, quæ sunt multiplicis prouidentia ratione pertingendos, ubi consequenter obseruat, quod Deus dicitur Zelotes, Exod. 20. ut vehemens ad ea, quæ sunt, clementer amanda*. Zelotes autem, & vehemens amator cum clementia est, qui vehementer appetit remouere, quæ nocent rei amata, eidemque abundè benefacere.

Art. 4. Quod ad finem attinet; nullum potuere substantiæ intellectuales creatæ desiderare, vel etiam cogitare, aut fingere præstantiorem, quam qui de facto propositus ipsis est. Propositus enim est, ut vltimus finis, Deus ipse, qui est summum, ac infinitum bonum. Propositus vero est, ut possidendus per visionem immediatam ipsius, qui est nobilissimus, ac summe perfectus possidendi modus inter omnes possibiles respectu substantiæ finitæ, ut dicitur in qq. de Beatit. Verum quia hoc tantum bonum propositum est, cum periculo ipsum appetendi, & incidendi in contrariam miseriam: Comparanda est bonitas, & felicitas obtinendi, ac possidendi prædictum finem, cum malitia, & miseria amittendi eundem, ut videatur, vtræ alteri præponderet. Dicendum autem est, felicitatem Beatorum, præponderare incomparabiliter miseriæ reproborum, atque bonum possidendi summum bonum, esse quasi infinite maius, quam malum amittendi illud. Probatur. Quia vberiorē gaudendi materiam suppediat beatis sua fors, quam quæ infert tristitiam ex damnatione. Bonorum autem, & malorum contingentium substantiis rationalibus, iuxta mensuram est penes gaudium, & tristitiam, quæ ex vtriusque proficiuntur per se. Nullus namque æstimat græde malū, de quo nouit, se non debere valde tristari, vileque dānū est, de quo leniter iure dolemus. E conuerso, sicut nullum bonum est, quod non gaudenter excipimus, ita exiguum bonum est, de quo tepide gaudemus, id verò excellens, quod largo gaudiorum imbri recreat animum, id summum, quod summo eundem perfundit gaudio. Confert plurimum in hunc scopum tota quæst. 20. de Passion. Validum prætereā eandem in rem argumentum desumitur ex SS. Litteris, fere semper explicantibus Beatitudinis præstantiam, sola vbertate gaudij inde resultantis, aut eam constituentis formaliter, ut Pl. 33. 11. *Adimplebis me letitia cum vultu tuo*, Pl. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tue*. Quæ cum alijs eiusmodi pluribus congerit Salas tr. 2. in 1. 2. disp. 5. sect. 3. & Communiter interpretes cum D. Th. ibid. q. 4. a. 2. Familiaris itidem est explicatio miseriæ reproborum per tristitiam, ut constat ex illo Matth. 8. 12. & c. 22. 13. & Luc. 23. 28. *ibi eris fletus, & stridor dentium*.

Art. 5. Ut appareat gaudium Beatorum maius esse, quam tristitiam reproborum, duo quædam præmittenda sunt apud omnes indubitata. Primum est, pœ-

nam damini, seu priuationem visionis beatæ, & Deum quatenus nunquam videndum, esse longè maius reprobis malum, quam penam sensus, seu cumulum caterorum cruciatuum. Alterum est, gaudium de bono possessio, & tristitiam de eodem amisso crescere, ac minui, iuxta augmentum, & diminutionem cognitionis representantis bonum possessum, & amissum. Nam si quis amisit gemmam, ratur esse vitrum, leuiter dolet, ac tristatur. Si verò possedit vitrum, ratur esse gemmam, plurimum gaudet. Eadem procul dubio ratio est de cognitionibus perfectissimè, & non vsque adeò perfectè penetrantibus bonum amissum, & possessum: Rectè itaque metemur tristitiam, & gaudium perfectione cognitionis representantis bonum amissum, & possessum; quando cetera sunt paria. Manifestum autem est Beatos duplo, imò quasi infinitè perfectiùs cognoscere bonum infinitum, quod possident; quam reprobos, qui eius iacturam patiuntur. Quia Beati immediatè, ac intuituè feruntur in Deum, cuius possessione latantur. At reprobi adumbrant eundem, cuius absentia tristantur, cognitione abstractiua, per species rerum creaturarum, & consequenter ad instar ipsarum. Nemo autem ignorare potest, cognitionem intuitiuam, ac immediatam, saltem Dei, duplo, imò quasi infinitè esse præstantiorem cognitione abstractiua eiusdem. Huiusmodi namque est distantia Dei, vt est in se, à modo, quo est, & apparet in creaturis, & ex creaturis. Quapropter repugnat, tantam esse cuiusquam reprobi tristitiam, quantum est gaudium cuiusvis Beati. Imò necesse est, istud esse duplo, imò incomparabiliter maius, quàm illam. Quia talis est excessus visionis Dei, ipsiusque Dei, vt est in se, respectu cognitionis abstractiue de eodem, atque eiusdem, quatenus participati à rebus creatis, & cognoscibilis mediantibus creaturis. Ergo visio Dei est duplo, imò incomparabiliter maius bonum, quàm sit mala eiusdem priuatio. Cum autem hæc priuatio sit longè maius reprobis malum, quam reliquæ eorundem penæ, & cruciatus: patet, bonitatem, & excellentiam beatitudinis præminere incomparabiliter malitiæ, & vilitati damnationis; maiora esse incomparabiliter Beatorum commoda, quàm incommoda reprobis, maioremque similiter esse felicitatem illorum, quàm totam istorum miseriam.

Art. 6. Vt hæc probatio reddatur dilucidior, obseruandum est, quod vulgò circumfertur, vnamquamque priuationem tantum iuste malum esse, quantum est bonum, cui aduersatur: Non esse vniuersaliter verum, licet in plerisque bonis debitis non fallat. Ratio, ob quam plerumque non fallat ea regula, est, quia pleraque bona eius sunt conditionis, vt possessa, & amissa æquè bene cognosci possint, aptaque proinde sint parere tristitiam æqualem gaudio. Ita contingit in exemplo centum aureorum, qui à Domino, & non Domino videri, & æquè bene cognosci possunt, pariuntque propterea tristitiam gaudio parem, cum amittuntur, & cum possidentur, idemque ferè, aut omnino eueit in rebus aliis creatis. Quia cognitio intuitiua obiecti purè creati non multum differt à cognitione abstractiua perfectissima eiusdem. Gignitur enim cognitio abstractiua per species alienas, non multum distantes à propriis, nimirum per species proprias alterius creaturæ valde similis, & sæpè æqualis illi, quæ cognoscitur abstractiue. Præterea res creata, saltem pleraque, non possidentur perfectè per solam visionem ipsarum, cum plura contingat videre, quàm possidere. Ideoque eiusmodi bona possessa, & non possessa possunt tantundem, aut ferè, cognosci, ac videri. At Deus possessus, & non possessus nequit esse æqualiter cognitus. Quia per so-

lam sui visionem possidetur perfectè, & amittitur per defectum eiusdem, vt dicitur in quæst. de Beat. atque cognitio intuitiua Dei distat propè infinitè ab omni cognitione abstractiua eiusdem, vt potè paria per species proprias obiecti creati infinitè distant ab increato. Hac de causa, rectè pronuntiat Lc. 11. 2. de Summ. Bon. c. 27. 1. 147. Deum, non ita esse posse summum reprobis malum, sicut est summum bonum Beatorum: potestque confirmari ex doctrina generali D. Th. aientis in 4. dist. 49. q. 3. a. 3. ad 3. quæst. *Causam delectationis perfectius se habere ad delectandum, quàm causam tristitiæ ad contristandum.* Qua de comparatione dictum est à me ex professo quæst. 23. de Passion. Ergò causa summæ delectationis plus, perfectiùsque delectat, quàm contristet summæ tristitiæ causa. Quia verò multiplex circumfertur bonitatis acceptio, eiusdemque conferentia cum malitia, prætermisiss aliis, circa huiusmodi comparationem, hoc vnum obseruandum est; sub conceptu beneficii, illud procul dubio esse maius bonum, ex quo maius resultat gaudium, illudque esse maius malum in ratione penæ, quod maiorem infert tristitiam. Quia beneficium definitur per beneuolam actionem tribuentem gaudium accipienti, vt dictum est. Eodem modo ex sententia Ansel. lib. de Concept. Virg. c. 4. aliorumque communi, de ratione penæ est, vt sit contra voluntatem, & inducat tristitiam. Rectè itaque instituta est comparatio boni, & mali, quod ad præsens attinet, & rectè proinde concluditur, Deum esse absolute beneficium erga omnes substantias rationales, quoad finem ipsi præfixum, vt potè superantem excessu propè infinito, malum, quod est eidem fini contrarium.

Art. 7. Hinc facile deducitur proportionalis excessus, & ratio beneficii ex parte mediorum conducentium ad vltimum finem. Et quidem ex parte mediorum conducentium immediatè vltimo cuiusque fini, quæ sunt actus boni, & mali, perseverantia finalis, & finalis impœnitentia, clarè apparet, præminere bonum, quod inest actibus bonis, & perseverantia finalis in gratia, respectum mali, quod reperitur in peccatis, & in finali impœnitentia, considerando, atque inuicem conferendo vtrumque hoc extremum in ratione beneficii. Quia actus boni, & perseverantia finalis inducunt beatitudinem, id est, iuxta dicta, bonum incomparabiliter maius, quàm sit totum malum reprobis, quod inducunt actus mali, & impœnitentia finalis. Bonum autem inductiuum boni maioris contraria malitia, maius vtiq; bonum est, quàm sit malum repertum in extremo opposito, inductiuo minoris mali. Nempe momentum, & affirmatio mediorum pendet ex comparatione, & affirmatione finium, in quos illa perducunt. Patet itaque, prouidentiam Dei, esse beneficam, respectu omnium quoad hanc partem mediorum.

Art. 8. Pro maiori claritate huius probationis, distinguenda est duplex ratio malitiæ, in peccato. Altera malitia consistit in ratione inhonesti, & vilificantis peccatorem, & consideratur relatè ad dignitatem Dei, qui offenditur per peccatum, & relatè ad voluntatem diuinam, quæ est prima regula humanorum actuum, quæque contemnitur à peccatore per quemlibet actum peccaminosum. Malitia peccati sub hac consideratione præminet bonitati actuum bonorum puræ creaturæ, siue sumatur distributiue, siue collectiue secundum quamlibet multitudinem, ac intentionem, vt apparet ex q. 9. de Incarn. Altera malitia peccati consistit in ratione nocentis peccatori, & gignentis incommodum cruciatuum, & contristationem eiusdem: & consideratur relatè ad subiectum, cui inest, quatenus capax bonorum, quibus priua-

tur per peccatum. Malitia peccati, sub hac consideratione, est minor, quam sit bonitas actuum bonorum. Quia actus boni inducunt in auctorem suum vberiores gaudendi materiam, maioremque delectationem, quam sit materia tristitiæ, & dolor inducibilis per peccata, ut patet ex dictis paulo prius. Istiusmodi comparationi, & considerationi præfuit Damascenus Dial. contra Manichæos, inter med. & fin. circa illud, *melius illi erat, si natus non fuisset homo ille*. Subiunxit enim sic: *Non dixit Dominus: vile fuerat, si non natus fuisset homo ille; sed vile fuerat homini illi. Bonum quidem est, & quantum ad naturam, & quantum ad ius atinet, ut bonus beneficiat, ac bona largiatur. At, qui accepit, nec conservauit, turpe, ac probrosum sibi hoc ipsum efficit, quod accepit*. Itaque peccatum præualeat in ratione turpis, ac probrosum, iuxta priorem peccati considerationem. At in ratione commodi, præualeant bona, quæ accipimus à Deo. Iam verò ad rationem beneficii stabilendam, vel dirigendam, ex parte Dei, sola consideranda veniunt bona, quæ recipimus ab ipso ratione operationum honestarum, & mala, ac cruciatus, quæ infliguntur ab eodem, ratione peccatorum. Patet ergo providentiam Dei esse beneficam, quatenus causatiua actuum nostrorum bonorum. Quia quatenus talis, inducit bonum maius, quam sit malum, quod subsequitur ex eadem providentia, quatenus permissiua peccatorum, & inflictiua penarum, utcumque ineligibilitas, atque inhonestas peccatorum sit maior, quam eligibilitas, & honestas operum bonorum, atque peccator sit magis vituperabilis ex peccatis, quam sit laudabilis ex operibus bonis. Hoc enim solum conuincit, hominem plus posse exequi ex se, in ordine ad malum, quam in ordine ad bonum; cum ex parte Dei opposito modo se res habeat, quandoquidem plus boni inducit ex se in iustos, quam mali in peccatores.

Art. 9. Superest consideranda sola contingentia exitus boni, & mali, seu actus primus libertatis, in quo constituuntur homines à Deo, antequam quidquam boni, aut mali egerint. An videlicet eos constituerit in maiori, vel minori spe conservandæ innocentia, & obtinendi vitam æternam, quam fuerit periculum incidendi in peccatum, & in æternam miseriam. Quam in rem hoc imprimis statuendum est; quamvis supponatur, Deum homines constituisse in maiori periculo peccatorum, & miseriæ inde consequentis, quam fuerit spes conservationis innocentia, & beatitudinis; saluari nihilominus rationem beneficentiæ in providentia diuina inducenti eiusmodi inæqualitatem, ut sic dicam, in deterius. Ratio est; quia bonum beatitudinis non est utcumque, seu aliquatenus tantum, aut ut duplo, aut triplo, sed incomparabiliter, atque incommensurabiliter maius, quam sit totum malum reproborum, ut dictum est. Actus verò primus libertatis collatus à Deo ad seruandam innocentiam, non fuit tanto excessu inclinatus magis ad peccatum, quam ad perseverandum in accepta iustitia. Quia Deus quantum est ex se, confert sufficientiam non solum physicam, sed etiam moralem ad obseruantiam mandatorum, id est, sufficientiam, si non magis, aut saltem æqualiter dispositam ad perseverandum in iustitia, certè talem, de qua non multò minus sperari possit eadem obseruantia, quam possit timeri peccatum, ut liquet ex tota q. 3. de Grat. Spes autem non admodum minor periculo inter beneficia reputatur, dummodò bonum speratum sit incomparabiliter maius, quam malum, & iactura, quæ timentur, ut appareat ex sortibus, & sponsonibus mutuis, quibus plures libenter exponuntur, cum spe minori, quam pe-

riculo, quando lucrum est longè maius, quam iactura. Deus igitur fuisset beneficus erga genus humanum, tamen illud constituisset in maiori periculo amittendæ beatitudinis, quam esset spes eiusdem obtinendæ.

Art. 10. Deinde spes de facto inducta à Deo de obtinenda beatitudine, fuit longè maior, quam periculum incidendi in peccatum, & perditionem. Quia Deus de facto contulit Adamo perfectissimam cognitionem, tum bonitatis suæ infinitæ, & præstantiæ æternorum bonorum impellentium ad perseverantiam in accepta iustitia, nec non æternorum malorum auocantium à peccato, tum vilitatis, & caducitatis rerum temporalium, quæ solæ inducere possunt ad peccandum. Subiecit præterea appetitum sensitiuum rationis imperio, ita ut facile, ac promptè illum regere, atque intra limites continere possit. Patet autem maxima bona, & mala æternum duratura perfectè cognita, quoad vim retinendi voluntatem in accepta iustitia, longè plus valere per se ad inducendam perseverantiam in illa, quam valent motiua temporalia perfectè itidem cognita quoad utilitatem ipsorum, ad inducendam præuicationem, adiuncta præsertim subiectione partis inferioris ad superiorem. Ergo actui primo libertatis, qui de facto collatus est primo parenti, atque in ipso, tota reliquo generi humano, maior inerat, per se, spes retinendæ innocentia, & obtinendæ per illam beatitudinis, quam periculum eiusdem amittendæ; ita ut fuerit valdè mirabile, quod nihilominus incidit in peccatum, atque totam posteritatem in illud induxit, nullius verò admirationis materia futura esset, si homo tam perfectè dispositus ad pugnam, & animo, & corpore, triumphasset, atque constanter persistisset in accepta iustitia.

Art. 11. Confirmatur, excessus iste spei, præ periculo, in homine, ex comparatione Angelorum. Angeli enim longè plures steterunt in accepta iustitia, suntque proinde longè plures, qui potiuntur beatitudine, quam qui inciderunt in peccatum, & reprobationem, ut docent Granad. tr. 11. de prædest. d. 3. & plerique alij Theologi cum Cyril. Alex. & D. Thom. qui exitus argumento est non debili, maiorem fuisse spem, quam periculum, ex parte actus primi, & gratia; atque ex propria imperfectione. Credendum autem nequaquam est, non æque providisse Deum hominibus, atque Angelis. Igitur de facto in statu innocentia maior fuit spes, quam periculum ex parte actus primi à Deo collati. Quod autem homo incidit nihilominus in peccatum, feceritque labrucas, Deo sperante vvas, & quod deinde inciderimus ceteri homines in periculum spe maius, non potest adscribi Deo. Quia nequit adscribi ipsi peccatum, cuius non Deus, sed solus homo est causa. Cui autem adscribi nequit origo malorum, nec etiam adscribi possunt mala inde scaturientia. Nihil igitur officit beneficentiæ Dei inferioritas spei, præ magnitudine periculi, cui subest humanum genus, post primum peccatum. Quia nequit beneficiarius auferre rationem beneficii, & laudem benefactoris, per abusum bonorum, quæ accepit magis procliuia de se in exitum felicem, quam infelicem. Quæ de causa Deus, ut tueatur beneficentiam suam erga omnes, etiam reprobos, merito per Oseam exclamat: *Perditio tua ex te, tantummodo ex me auxilium tuum*. Quod etiam pertinet illud Matth. 5. 45. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, nec non illud Luc. 6. 35. Eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos*. Quia videlicet splendor gratia, & pluuia donorum supernaturalium, atque abundantia benignitatis, ita sunt penes Deum, ut sint penes nos solos tenebræ, siccitas spiritus, & maligna

maligna proclivitas in malum; ac proinde ingratitudo nostra quæ elucet in omnibus huiusmodi malis, nequaquam obtenebrare possit splendorem benignitatis, & beneficentiæ diuinæ, quæ elucet, iuxta dicta, in iis quæ accepimus à solo Deo, atque in deterius commutata sunt per solam humanam malitiam.

Art. 12. Non est porro opera pretium fusiùs hic aliquid superaddere, circa statum puræ naturæ; tum quia de facto non existit, aut existeret, vnquam talis status: atque præcipuus in præsentis conatus noster dirigitur ad tuendam beneficentiam Dei vniuersalem in iis omnibus, quæ executus est de facto; Tum quia ordo supernaturalis imitatur ordinem naturalem, ut fert commune, & fundatissimum Theologorum axioma; ac proinde præmissis excessu spei supra periculum pro statu supernaturali innocentia, qui existit defacto, facile colligitur eundem proportionaliter futurum fuisse excessum spei, pro statu puræ naturæ, qui de facto non datur. Id quod confirmari vterius potest, ex documento nuper indicato, de potentia morali ad conseruandam, vel certè reparandam acceptam à Deo iustitiam. Documentum namque illud ita traditur in cit. q. 3. de Gratia, ut non obscure appareat, necesse esse ex natura rei, ut Deus pro quouis statu conferat, quantum est ex se, actum primum libertatis magis, vel certè nulla ex parte minùs procliuem absolutè, & simpliciter in exitum felicem, quam infelicem, & quod oppositum contingat, solum per accidens, provenire posse ex malitia, & peccato hominum. Patet itaque Deum pro quolibet statu esse beneficium erga omnes, & singulos; non solum bonos, & prædestinatos, sed etiam peccatores, & reprobos, tum quatenus creatorem, & conseruatorem; tum denique, quoad media, quæ superaddit iisdem.

Ad 1. Neutra ex illis rationibus probat, maius esse periculum, in quod Deus coniecit genus humanum, seu quod illi permisit, quàm spem, ad quam erexit. In ratione namque à posteriori omittitur peccatum originale, cuius Deus non est causa, & quod est causa, ut plures damnentur, quàm saluentur: nam si Adamus retinisset innocentiam, quam simul cum facilitate eandem retinendi à Deo acceperat, & consequenter eius posterij nati fuissent in statu innocentia, accidisset è conuerso, ut plures saluarentur, quàm reprobandentur. Certè est probabilius ita futurum fuisse, sicut de facto euenit in Angelis, non magis proportionaliter dispositis ad perseuerandum in gratia. In ratione verò à priori, non attenditur excessus motuorum pertrahentium ad iustitiam propè infinitus supra motiua, ob quæ peccatur. Eo enim excessu coniuncto cum perfectione cognitionis à Deo indita circa qualitatem vtriusque eius extremi, & cum subordinatione appetitus ad rationem (quem statum perturbauit, & in deterius commutauit idem peccatum originale) satis apparet, spem fuisse longè maiorem periculo, propter duas illas compensationes præponderantes ex parte motuorum allicientium ad iustitiam, aduersus sensibilitatem oppositorum bonorum.

Ad 2. Conceditur, iuxta dicta supra, excessus malitiæ peccati, respectu bonitatis operum laudabilium, si comparentur in ratione decentis, ac dedecentis, obsequij, & iniuriæ, respectu Dei, laudabilis, & vituperabilis. Negatur verò, comparatione facta in ratione vtilis, & nocentis, inductiua tristitiæ, & lætitiæ, voluptatis, & cruciatus. Posterior autem comparatio, sola pertinet ad rationem beneficentiæ diuinæ erga nos, cum prior comparatio solum pertineat ad examen benemerentiæ nostræ erga Deum, seu nostræ potestatis ad obsequendum Deo, & ad offendendum eundem.

Ad 3. Imò miseria reproborum est incomparabiliter minor, quàm felicitas prædestinatorum, quia licet reprobi subsint priuationi omnium bonorum, quæ possident prædestinati; prædestinati tamen possident cognitionem incomparabiliter meliorem boni per ipsos possessi, quam sit cognitio reproborum de bono, quo carent, & consequenter de malo, quod patiuntur. Unde gaudium illorum est incomparabiliter maius, quam possit esse istorum tristitia. Quæ duo sunt iusta, & vltima bonorum, malorumque omnium mensura. Quapropter priuatio cuiusque boni, in eo tantum rerum genere, est tam mala, quàm est bona possessio, quæ possunt æquè bene cognosci, amissa, & possessa, dum absunt, & adfunt, atque idè non possidentur sola cognitione perfecta sui, nec amittuntur amissa eadem cognitione. Deus autem, qui est summum Beatorum bonum, & recessus à quo est maximum malum reproborum, est extra tale rerum genus, ut ostendatur in qq. de Beatit. Quod additur de malo sensus, quo videntur excedere damnati, duplici ex capite est insufficiens. Primum quia beati, ex quo animæ existunt vnita corporibus, fruuntur delectationibus sensuum haud quaquam minoribus, & interim animæ beatæ potiuntur multipliciter gloria accidentali ex creaturis similiter non minori, quam sit dolor damnatorum ex malo sensus. Deinde, cum beatitudo substantialis sit plusquam duplo, atque incomparabiliter maius bonum, quam sit mala infelicitas substantialis reproborum; atque hæc sit maius malum, quam malum sensus, sola bonitate beatitudinis substantialis superatur omne genus malorum, quæ patiuntur reprobi.

Ad 4. Si quidem melius fuisset homini non nasci, quam nasci, consideratis iis, quæ accipit à principio, & causa suæ natiuitatis, & quibus ab eodem priuatur, nullum profecto accipit beneficium nascendo. Quod efficaciter probat ratio obiectionis. Ceterum, si natum non fuisse sit melius, ex solo abusu bonorum, quæ contulit natiuitas, nihil id oberit beneficentiæ principij natiuitatis. Aliàs enim ratio beneficii non consisteret in qualitate rei collata, & in affectu, ac voluntate conferentis, sed esset expectandus vsus, & libera electio accipientis, postea subsequens; atque huic esset liberum, ut accipisset, vel non accipisset beneficium, postquam accipisset omne bonum sibi conferibile ab alio; & vel ipsa ingratitudinis malitia, maiori, quàm esset bonitas rei collata, & affectus, quo collata est, possit efficere, ne accipisset beneficium. Quæ cum absurdissima sint, patet rationem beneficii censendam esse penes ea, quæ pendent à voluntate, & actione benefactoris, & non penes ea, quæ deinde proueniunt à beneficiario. Quod autem melius fuisset Iudæ, si natus non fuisset, non verificatur ratione eorum, quæ accipit à Deo, sed ratione peccati, cuius ipse solus fuit causa. Ergo Deus fuit beneficus erga Iudam, & est beneficus erga ceteros omnes illi similes, propter bona, & spem vteriorum bonorum; licet ipsi sua sibi voluntate adiunxerint mala maiora, quàm sit bonum creationis, & quàm fuisset malum simpliciter non existendi.

Ad 5. Deus nemini confert existentiam, & actum primum libertatis, simul cum peccato, & cum æterna damnatione, sed per solam humanam voluntatem inducitur peccatum, quod inducit damnationem, atque coniungitur vtrumque cum existentia simpliciter, & cum actu primo libertatis. Quare, quod confertur à Deo peccatoribus, & reprobis, quatenus ab eo prouenit, est eligibile, & desiderabile ab accipientibus, nec potest ab eo rationabiliter reijci, Saluatur ergo eatenus ratio beneficii, tamen postea noceat sibi

sibi homo taliter, vt non posset rationabiliter velle, ac eligere antecedenter tale, ac tantum suum nocumentum. Quia hoc malum prouenit ab homine, & non à Deo, praterquam permissiue.

Ad 6. In paruulis decedentibus absque baptismo, & absque possibilitate proxima baptismi, tria sunt, quae tuentur beneficentiam Dei erga ipsos. Primum est possibilitas ipsis collata in Adamo, vt possent mori in statu innocentiae, & adipisci vitam aeternam; idque cum spe maiori ex parte actus primi, vt id eueniret, quam esset periculum, vt eueniret malum, cui subsunt de facto. Secundum est vniuersalitas meritum Christi, & institutio Sacramentorum, & praesertim ipsius baptismi habentis vim, quantum est ex se, vniuersalem ad deletionem peccati originalem; & ad impeditionem reliquorum peccatorum, si aliunde non interueniat obex aliquis. Tertium est felicitas naturalis, qua potiuntur aeternum idem paruuli, tametsi portantur cum aliqua diminutione propter peccatum originale. Vtrumlibet ex his tribus sufficit ad rationem beneficentiae ex parte Dei, erga eos paruulos. Quia, quod ad tertium, & postremum attinet, status ille felicitatis naturalis est absolute eligibilis, & gaudiosus. Quia, cum contineat in se maximam delectationis, & gaudij materiam, ex contemplatione vniuersi, & Dei, quatenus operantis in vniuerso, exiguum admodum, & vix vllum admiscet sensum doloris ex amissa beatitudine supernaturali, & maiori aliquatenus perfectione beatitudinis naturalis, utpote indebitis, & imperfectissimè cognitis. Duo autem priora non possunt non computari inter beneficia; quia possibilitas obtinendi summum bonum, est bonum minimè contemnendum secundum se, ideoque retinet rationem eximij beneficii, dummodo impedimentum obtinendi de facto summum bonum, aliunde proueniat, quam ab eo, qui confert eam possibilitatem, vt euenit in impeditione vtriusque eius potestatis à Deo nobis factae, vt sumus eius filij, & haeredes; nempe omne eiusmodi impedimentum prouenit ex defectu physico, vel morali causarum secundarum inimpedibili à Deo, retenta natura earum.

Ad 7. Inobseruantia mandatorum Dei nullam nobis exhibet querelam materiam, sed soli Deo aduersus peccatores, quia Deus semper praestat, quidquid ad ipsum spectat in ordine ad obseruantiam, quam exigit à nobis, iuxta illud illa. 5. 4. *Quid debui ultra facere vineae meae, & non feci?* & plura eiusmodi similia. Neque vero est iniustus distributor, aut acceptor personarum, quia quibusdam ultra omnia necessaria, & sufficientia, vt obseruent totam legem, tribuit etiam efficaciam, & obseruantiam ipsam, tametsi sint aequales in dignitate naturae secundum se, qui accipiunt tale speciale beneficium, quique eodem carent. Quia non est vitium acceptionis personarum, nec continet in se vllum vitium iniustitiae, quod quis ex bonis suis vni conferat quantum placet, & alij secundum se aequali, non conferat tantundem, si neutri quidquid debeat, vel etiam debeatur, sed tantum disunctiue alicui ex aequalibus. Deus autem nemini quidquam debet absolute, & simpliciter, nullaque facta suppositione liberae suae voluntatis; facta verò suppositione liberae suae voluntatis de constituendis hominibus in actu primo libertatis, ipsis connaturali quoad modum, vel quoad substantiam, contrahit necessitatem vagam conferendi quibusdam auxilia congrua, & efficacia, aliis verò, quae incongrua, & inefficacia sunt: nec fieri potest ex ea suppositione, vt vel omnibus conferat auxilia efficacia, vel omnibus eadem subtrahat, vt ostenditur fusè q. 5. de Grat. Ex quo diluitur altera pars probationis, qua vitur obiectio, &

retorquetur exemplum, quod inibi opponitur de diuite non subueniente pauperibus. Si enim diues possit subuenire vni, vel pluribus ex tota pauperum collectione, & tamen non possit omnibus subuenire, ita est specialiter beneficus erga eos, quibus pro libito subuenit de facto, vt conueni iure nullatenus possint, quibus non subuenit. Idem igitur dicendum est Deo, distribuyente inaequaliter aequalibus dona sua. Dicendum verò idem est à fortiori de Deo, cum peccatoribus comparato. Quia ipsi sua libera voluntate impediunt Deum, quominus eis conferat, quantum confert iis, qui non peccant: cum pauperes, quibus non subuenit diues, nequaquam impediunt subuentionem, sed potius enixe eam sollicitent.

Ad 8. Quoduis peccatum, non solum mortale, sed etiam veniale, est essentialiter ineligibile iuxta rectam rationem, ita vt pro nullo malo vitando, & pro nullo obtinendo bono eligi prudenter vnquam possit. Quia quoduis peccatum contrariatur diuinæ voluntati, cui nihil praeponderare, aut equiponderare potest. Sed quia nihilominus vberius gaudendi materiam, maiusque gaudium inducere potest omisso libera peccatorum, quam sit tristitia, & materia doloris inducibilis per peccatum, iuxta dicta supra, propterea est eligibilis prudenter, atque desiderabilis spes vitandi liberè peccata, quamuis sit coniuncta, vt coniungitur ex suo conceptu, periculo peccandi. Quapropter eligibilitas, & ineligibilitas, seu prudens, seu imprudens inter spem, & periculum, est vniiformiter proportionalis eligibilitati, & ineligibilitati, seu prudenti, seu imprudenti, inter bona sperata, & mala imminencia, quando in his sola datur, aut sola consideratur bonitas, & malitia physica; & vis delectatiua, & contristatiua, seu cruciatiua; non verò si conferantur bonitas, & malitia moralis relatè ad Deum, & in ratione laudabilis, ac vituperabilis. Cuius rei ratio patet ex dictis art. 8. Adde ineligibilitatem peccati, & eligibilitatem vitationis peccati, solum conferri posse cum bonis temporalibus, quae sola possunt esse impossibilia cum vitatione peccati; siquidem bona aeterna, tam repugnat, vt sint impossibilia cum illa, vt potius eam exigant ex natura rei, atque ad eandem consequantur. De quo dicenda sunt plura in qq. de Pernit. Patet interim, spem, & periculum, quae inter se conferuntur in praesenti, non versari circa bona, & mala temporalia; sed circa aeterna; ac proinde comparisonem, quam instituit obiectio, esse abs re, quia comparat peccatum cum omnibus bonis absolute possibilibus, perinde atque si bona spiritualia, atque aeterna, quae sunt maxima, & summa bona, possent haberi eligendo peccatum, aut amitti propter vitationem peccati. Quorum vtrumlibet est chymericum, vt clariùs apparebit in loco indicato.

Ad 9. Quando Deus prauidet, si conferat tale determinatum auxilium, subsequatur esse bonum opus, eo ipso prauidet se non posse conferre primum suum donum indistinctum ab auxilio gratiae: quin simul conferat aliud suum donum indistinctum ab operatione bona. Cuius videlicet Deus est auctor sua operatione, atque determinata intentione, non minus quam causa secunda, nec minus, quam ipse sit causa ipsius auxilij gratiae. At quando prauidet subsequatur esse peccatum, si ipse conferat tale determinatum auxilium; solum prauidet, quid futurum sit, vt superaddat homo dono Dei, absque vlla eatenus cooperatione diuina, & absque vlla praentione talis euentus ex parte Dei. Mirum igitur non est, si scientia media efficacia auxilij angeat rationem

tionem beneficij in eius collatione, scientia verò media inefficaciæ non minuat rationem beneficij convenientem auxilio gratiæ, & actui primo libertatis secundum se, quandoquidem scientia media efficacæ, se ipsa est necessitas, vt Deus non conferat donum suum dependens à sola sua libera electione, quin superaddat donum aliud suum dependens à sua, & ab humana libertate; id est, quin superaddat donum æstimabilius, ac maius, quàm sit donum, cui superadditur; scientia verò media inefficaciæ nullam similem in se continet necessitatem, vt non possit Deus conferre donum suum dependens à sola sua libera electione, quin illi superaddat aliquod malum, aut detrahat aliquam partem bonitatis per suam liberam electionem, & cooperationem, vt coniunctam cum operatione, & electione libera causæ secundæ, ad cuius causæ impeditiōem, id est, ad vitandam permissionem peccati, nulla lege, nullaque honestatis ratione tenetur Deus, sed magis ad oppositum ex suppositione creationis Angelorum, & hominum. Ergo Deus, ita est specialiter beneficus erga omnes, & singulos, qui operantur benè, & quoties benè operantur, vt non desinat esse beneficus, beneficentia saltem vniuersali, ac generali erga eos, qui malè operantur etiam tunc, cum malè operantur. Quia etiam tunc, quidquid habent boni, est ex Deo, & quidquid contrahunt mali, est ex ipsis solis.

Ad 10. Causa, quæ est inadæquata, respectu affirmationis, potest esse causa nihilominus adæquata negationis. Quia quando causa adæquata necessaria ad existentiam alicuius effectus, conflatur ex duabus causis partialibus, vtralibet suspendente suum concursum, inducitur negatio talis effectus, tametsi altera causa, quantum est ex se, sit ita disposita ad operandum, vt operaretur de facto, nisi impediretur à concausa nolente operari. Hoc autem modo comparantur causa prima, & secundæ in ordine ad actum bonum, & malum. Quia ad actum bonum requiritur concursus vtriusque: cum ad actum malum sufficiat concursus causæ secundæ, vtpotè sufficientis se sola ad inducendam priuationem rectitudinis debita, nolendo concurrere ad actum bonum, quem deberet ponere à parte rei; & à quo consequenter est indistineta rectitudo illa debita. Itaque Deus simul cum causa secunda est causa affirmationis, seu actus boni; ac negationis, seu malitiæ peccati, solus homo est causa adæquata; & quod vniuersaliter dicitur, quod sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis, est distinguendum, iuxta dicta, de causa adæquata, & inadæquata.

Art. 1. Ad 11. Nec in iudicio humano, nec in diuino consideratur duratio delicti pro duratione pænæ infligendæ, vt tantundem duret pænæ, quantum durauit peccatum actuale. Quia in iudicio humano eadem pænæ infligitur pro furto, aut homicidio, seu lentè, seu festinè, inter patrato, & qui illud patravit, priuatur vita in perpetuum, tametsi punitus non exercuerit, nec exercere potuerit perpetuam similiter occisionem, & furtum: & Deus infligit pænâs proportionaliter diuturnas propter peccata non ita diuturna in ratione actualium peccatorum. Itaque pro iusta punitione, consideratur sola grauitas peccati, & diuturnitas solum consideratur, quatenus pertinet ad eandem grauitatem. Sub hac autem consideratione patet non solum iustas, sed etiam mitissimas esse omnes pænâs, quas Deus infligit peccatoribus, omnesque absolute suffigibiles ab eodem, etiam de potentia absoluta. Quia, dum peccat homo, contemnit Deum, operando contra eius voluntatem, & transferendo, quantum est ex se, rationem vltimi

finis à bonitate diuina in bonitatem creatam. Quod etsi nihil noceat Deo, continet tamen deordinationem, & dedecentiam, atque reprehensibilitatem, ac dignitatem punitionis propè infinitam, propter vilitatem offendentis, & dignitatem offensis distantes inter se infinitè, adeoque exaggerantes, propè infinitè, malitiam dedecentia offensa, & iniuriæ repectæ in peccato; cum pænâ inflicta peccatori, & malum in ea contentum, non possit vsque adeo distare à bonitate, & dignitate propria naturæ creatæ. Ex quo patet esse verissimum commune Theologorum axioma: Deum punire citra condignum, sicut præmiat vltra condignum; imò non posse punire, nisi citra condignum.

Art. 2. Quare, quod assumitur in obiectione, Deum punire pænâ aeterna propter delectationem momentaneam, non est verum, vt sonat; Quia Deus neminem punit propter delectationem formaliter, vt talem, seu breuis ea sit, seu diuturna, seu magna, seu parua. Quia Deus est causa omnis nostri boni, atque adeo omnis nostræ delectationis, quatenus delectatio formaliter est, tametsi coniuncta ea sit à parte rei cum peccato, & offensa Dei, quod communiter significari solet à Theologis, dicendo, materiale peccati, totamque eius entitatem positiuam esse à Deo, quem patet punire ob id non posse, quod ab ipso est, quatenus ab ipso est: Punit itaque Deus, quia delectationibus paruis, & temporalibus, ac breuissimis impedimus maximas, & stables, ac æternas delectationes, & quia contemnimus Deum, fontem inexhaustum posteriorum istarum delectationum, propter res creatas, ex quibus sola priores delectationes haberi possunt. Et quidem si homo esset dignus æterna inimicitia, & punitione Dei, casu, quo ipsum, ipsiusque legem dereliqueret, atque contemneret, propter adhesionem ad bonum aliquid creatum, & propter delectationem derivabilem ex illo, cum duratione horum trium æterna à parte post, non potest profecto, non agnosci homo dignus eadem inimicitia, & punitionis diuinæ æternitate, cum eandem iniuriam irrogat Deo propter delectationem momento transcurrentem, & propter adhesionem ad bonum creatum, quod citò euanesceat, cum illa ipsa adhesione. Eò nimirum maior est indignitas, ac indecentia, atque idèò dignitas pænæ, quoad intentionem, & durationem, quò minus est, & citius transit id propter quod deferitur, atque contemnitur Deus. Quare quod dicitur in Ep. Iacobi de Iudicio Dei sine misericordia, solum ponitur ad significandam magnitudinem pænæ, cui suberunt immiseriordes, & ad excludendam circa eisdem misericordiam illam specialem, qua puniuntur peccatores, qui fuere nihilominus misericordes. Constat enim ex testimoniis indicatis supra Art. 2. & ex ratione nuper expensa, nullam Dei punitionem esse absolute immisericordem; Siquidem inde constat, omnem Dei operationem esse misericordem, & specialiter omnem punitionem diuinam essentialiter esse citra condignum.

Art. 3. Quod additur in obiectione de Iustitia Dei in aliquibus Dei operationibus, deque impossibilitate eius cum misericordia, verissimum est, quoad assertionem iustitiæ diuinæ, non solum in aliquibus, sed vniuersaliter in omnibus operationibus diuinis absque vlla exceptione, sed est falsum, quoad impossibilitatem eius cum misericordia. Vtrumque patet ex testimonio supra indicato. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas*; id est, misericordia, & iustitia, iuxta vniuersim, & certum Interpretum consensum. Ratio vniuersalitatis misericordiæ Dei patet ex nuper dictis. Quia qui necessariò est misericors etiam

etiam dum punit, idest, etiam erga inimicos suos, dum agit cum ipsis, quatenus inimici sunt, nunquam potest non esse misericors in aliqua sua operatione. Ratio verò vniuersalitatis iustitiæ diuinæ apparet ex quæst. 28. Innotuit enim ibi Deum semper, ac necessario operari iuxta legem æternam sapientiæ suæ, tribuendo vnicuique, quod congruit naturæ eius, quoad substantiam, & modum simul, vel saltem quoad modum; ita vt conferat vnicuique, vel quod eidem iam præexistenti debetur, vel certe conferat, quod non debetur, aut nondum debetur, eo modo, quo debet conferri, iuxta eius naturam, & exigentiam, vel vniuersalem simul, & particularem, vel saltem, vniuersalem solam. Quæ profecto omnia pertinent ad iustitiam legalem Dei, seu quasi legalem, iuxta expositionem, quæ habetur quæst. 19. de Iust. in qua præoccupatum est opportunè, quidquid pertinet ad examen iustitiæ diuinæ.

Art. 4. Ratio denique concordie inter iustitiam, & misericordiam Dei, quatenus vniuersales, & sibi inuicem essentialiter connexas in omni operatione diuina, fundatur in eo, quod Deus nihil cuiquam debeat absolute, & simpliciter, sed tantum ex suppositione sibi omnino libera, ideoque propriissime benefica. Quod autem debetur solum ex suppositione beneficii, superadditur deinde retenta denominatione beneficii, ex beneficio priori; simulque sortitur rationem iusti, & debiti, quatenus eadem suppositio, & quidquid ad ipsam subsequitur, fit iuxta naturam, & exigentiam rei, circa quam vtraque operatio versatur, seu potius, vtrumque genus operationis, nempe prioris ex sua natura, & posterioris. Huiusmodi combinatio iustitiæ, & beneficentiæ liberalis, propterea non necessario interuenit in operationibus creatis, procedentibus ex virtute iustitiæ. Quia creaturæ sæpè incipiunt debere ex suppositione sibi non libera, aut non continente ullam earum beneficentiam, erga eos, quibus incipiunt debere. Imò etiam si suppositio, ex qua incipiunt debere, sit ipsa libera, & inducta per liberalitatem, non tamen obligantur ad vltiorem erogationem sola sua voluntate benefica, tanquam lege, & regula astringente operationem deinde subsequitur; sed obligantur voluntate diuina, ipsis non libera. Opposita omnia verificantur de Deo, vt patet ex dictis. Nulla igitur est paritas obiectionis. Vnde præmia meritis creatis retributa, & conuersio Iudæorum, & quæcumque alia, quomodolibet attributa iustitiæ Dei, non propterea desinant esse vera eiusdem beneficia, quia merita ipsa, & quæcumque alia inducentia rationem debiti, respectu Dei, sunt eiusdem vera beneficia.

Art. 5. Iam quod postremo superadditur in obiectione, de afflictione iustorum, nihil conuincit aduersus iustitiam, vel beneficentiam Dei; quia ordinatur in maius bonum afflictorum, nempe ad maiorem cumulum, & meritum, & præmium, & ad augmentum maioris puritatis, & perfectionis in vita spirituali. Quod est iucrum incomparabiliter maius, quam sit natura bonorum temporalium, quorum sola priuatione affliguntur iusti, vt dictum est superius quæstion. 26.



QVÆSTIO XXXVI.

Vtrum Deus sit omnipotens absolute ex se præcisè?



IDE TVR; nec Deum esse omnipotentem, nec denominationem omnipotentis esse ipsi adæquatè intrinsecam, sed proueniens in adæquatè ex possibilitate creaturarum eidem extrinsecam. 1. Quia Deus est purus actus. Ergo nulla est potentia in Deo. Patet consequentia. Quia quælibet potentia opponitur actui sui generis, estque impossibilis cum eodem in eodem. Quia de causa, materia prima, quæ est pura potentia, est secundum se absque omni actu. Ergo eadem ratione purus actus, est secundum se absque omnipotentia.

2. Qualibet potentia est melior eius actus, vt dicitur Philosophus 9. Metaph. text. 19. Nihil autem est melius, quam prædicatum aliquod diuinum. Ergo nulla potentia est prædicatum proprium Dei.

3. Quidquid Deus operatur, operatur per intellectum & voluntatem, qui videlicet est perfectissimus operandi modus, atque adeo vnicè proprius Dei. Ergo in Deo non datur potentia actiua, distincta ab intellectu, & voluntate.

4. Non datur in Deo infinita potentia. Ergo nulla in eo potentia datur. Certè non datur omnipotentia. Patet Consequentia. Quia omne diuinum est infinitum; cum infinitas sit prædicatum transcendens omnia diuina, vt dictum est supra. Deinde, possibilitatem nullus est finis. Ergo repugnat Deo potentia, quæ non sit infinita, nec potest esse omnipotentia, id est potentia complectens omnia possibilia, si infinita non sit. Probatur Antecedens. Primum ex Philosopho dicente 3. Phys. t. 63. Omne infinitum esse imperfectum, quale nihil potest esse in Deo. Deinde quia repugnat effectus infinitus, vt supponitur in præfati dictis in Physica: frustra autem est potentia, quæ non reducitur ad actum, multò verò manifestius, cui repugnat, vt reducatur in actum. Denique, sicut est de conceptu hominis, & ignis, vt possit producere alium hominem, & alium ignem, ita est de conceptu potentiæ infinitæ, vt possit producere effectum infinitum. Confirmatur ex Philos. inferente 8. Phys. t. 79. Quod si potentia alicuius corporis esset infinita, moueret in non tempore, seu in instanti, id est, velocitate infinita. Ergo si daretur alia cuiusvis generis potentia infinita, posset in eodem genere efficere effectum infinitum.

5. Ideò, dicitur Deum posse facere hominem, & non posse facere hircocerum, quia homo est possibilis ex suo conceptu, hircocerus verò impossibilis. Non autem dicitur similiter de conuerso, ideò hominem esse possibilem, & hircocerum impossibilem, quia illum Deus facere potest, hunc non potest. Ergo posse, & non posse, non conueniunt Deo ex se præcisè, sed per denominationem saltem inadæquatè extrinsecam à possibilitate, & impossibilitate eorum, quæ potest, & non potest efficere. Confirmatur, quia in qq. de Potentia Dei absoluta, quibus queritur an Deus tale, vel tale quid efficere possit, omne Philosophorum, & Theologorum studium in hoc incumbit, vt appareat, qualis sint rerum prædicata, de quibus id queritur, & an rectè ea inter se cohareant, non verò qualis sit potentia Dei. Ergo ratio, ob quâ Deus possit aliquid, vel nō possit, non se tenet,

M

saltem